DE APOSTOLICA
S. PETRI CATHEDRA
ORATIO
Habita in Sacrosancta Principis Apostolorum Basilica

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. OPT. MAX.

A FERDINANDO CAROLO RATTA

PATRITIO BONONIENSI.

4



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA VATICANA

IN ARCHIGYMNASIO SAPIENTIAE

M. DCC XLII.

SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

FERDINANDUS CAROLUS RATTA.

O*Rationem hanc*, *B*EATISSIME *P*ATER, *de Romana S. Petri Cathedra nomini dicatam Tuo, cùm*

caussæ benè multæ effecerunt, ut benignè à Te acceptum iri considerem, tùm eâ vel maximè, quod me ad SANCTITATIS TUÆ *pedes provolutum, & peramanter exceperis, & ad eum tenendum, quem institueram, literarum cursum hortatus non semel fueris. Equidem pudore deterrebar ejusmodi provinciam suscipere, ut de tàm illustri argumento apud Te verba facerem non solùm ob Pontificiæ dignitatis fastigium, verùm etiam ob hæc ipsa doctrinæ, atque eloquentiæ ornamenta, quæ in Te tanta sunt, ut idcircò etiam inter homines Maximus possis jure opti-*

mo

mo nominari ; Verùm quid hanc ego occasionem elabi sinerem testificandæ Tibi palam observantiæ, ac voluntatis erga Te meæ, quandoquidem si minus ingenio Tibi me probari intellexero, at illud certè sperem Civitatis, cujus Civis ego sum, jure quasi quodam, me à Te facile veniam impetraturum. Excipe igitur, BEATISSIME PATER, *qualemcumque hunc industriæ meæ fructum, exiguum illum quidem, si rem solùm spectes, si animum verò, unde proficiscitur, á Te ipso etiam minimè contemnendum.*



ORATIO.



Quanta universi Christiani orbis gratulatio hodierna luce esse debeat, cùm præsentia Tua, Beatissime Pater, ordinumque amplissimorum declarat, tùm loci ipsius authoritas, atque amplitudo, ubi qui Apostolorum Principis in Ecclesiæ regimine locum obtinent, natalem hunc quasi ejus Cathedræ diem summâ religione, ceremoniaque celebrandum, constituerunt. Et verò cum hæc Anniversaria sacra peragimus nonnè statim occurrit animo tempus illud, quo tempore,& in hac Gentium omnium Patria orthodoxæ, veræque fidei

fundamenta jacta sunt, & ad beatam nobis immortalitatem est aditus reseratus? Meas igitur partes oportere esse intelligo, ut multiplicem Sanctæ hujus; Apostolicæque Sedis prærogativam breviter dicendo persequar, quo fiet, ut quid voluptatis tàm singularis beneficii recordatio habeat, experiamur.

Profectò simul ac Petrus ille Beatissimus Regale hoc sibi Solium constituit, quot

S. Leo Serm. 80.

è vestigio miraculorum signa, quot charismatum dona, quot experimenta virtutum non huic Civitati solùm, sed cunctis planè gentibus enituerunt! Cæteras Orbis Regiones Apostolicus verè Christi Legatus non tàm itineribus, quàm perpetuis partim Judeorum, partim Ethnicorum ad Evangelicam lucem conversionibus perlustraverat. Jam verò Solis quoquoversus radios diffundentis in morem ex Oriente in Occidentis oras provectus incredibile dictu est, quàm copiosos cælestium divitiarum thesauros in hanc Ur-

S. Leo Serm. 1. in Natal. Ap.

bem effuderit, ut cæterarum caput effecta non tàm dominatione terrena, quàm religione divina iisdem anteferretur. Vos ipsi, me tacente, recordamini, quàm exiguo annorum spatio per illam verè devocatam è Cælo philosophiam, superstitiosi ritus aboliti, prophana Deorum simulacra dejecta, Templa

diru-

diruta, Infernorum hostium acies per summum dedecus profligatæ, ita ut quæ ad impietatem stabiliendam valuerant, instrumenta illa eadem, commutato rerum statu, ad Sanctæ Sedis hujus dignitatem ornandam magno Pontificibus usui deinceps forent! Neque verò non omnem conatum nefarii homines adhibuerunt, ut superædificatum hoc super fundamentum Apostolorum Ecclesiæ Solium convellerent. Quàm formidolosum priores illi Cæsares bellum, quà proscriptionibus, quà suppliciis primis hujus Cathedræ moderatoribus intulerunt? Tanta autem divinitùs fuerat soliditate munita, ut eam neque hæretica umquam corrumpere pravitas, neque pagana potuerit superare perfidia. Atque hoc summæ providentiæ fuit, nullis ut machinis labefactatum Tribunal consisteret, unde & veritas in occulto latens emergeret, & rectè honestèque vivendi norma citra omnem erroris suspicionem universo hominum generi depromeretur. Fuerant quidèm ad ea tempora Nationes plurimæ, quæ sapientiæ principatum sibi præter Nationes cæteras vindicabant. Longum profectò esset de Babyloniis, de Atheniensibus, de Brachmanis, de Scythis, de Æthiopum, atque Ægyptiorum Gymnosophistis commemorare, ad quos doctrinæ compa-

Eph. 2.

S. Leo Ser. 2. in die anniverſ. Aſſumpt. ad Pont.

comparandæ ſtudio concurſus fiebant undique. Obſoleverunt continuò præpoſtera ipſorum dogmata, nihilque deinceps ratum haberi cæptum, niſi quod ex hac Paſtorali Speculâ, & ex hoc excelſiori faſtigio, tamquam legitimum ab adulterino diſcerneretur. Quamquàm quid ego Philoſophorum ſectas loquor? Cum in minoribus Eccleſiis quoque quicquid poteſtatis eſt, quicquid ad Chriſti gregem paſcendum authoritatis, id omne ex hoc uno fonte profluat neceſſe eſt? Inferiores in ſingulis Orbis partibus Antiſtites deſignare, remotiſſimis etiam Gentibus Apoſtolicos Legatos cum poteſtate præficere, graviſſimas de rebus fidei controverſias unicé dirimere, & definire, benemeritos de Chriſtiana Republica Viros in Sanctorum numerum cooptare, pravas Etherodoxorum opiniones proſcribere, Epiſcoporum conventus indicere, ad ampliſſimos honorum gradus efferre, ſexcentaque hujuſmodi alia unius Petri Cathedræ peculiaria, atque propria eſſe exploratius vulgò eſt, quàm ut illud neceſſe habeam allatis, aut vetuſtatis exemplis, aut Patrum, & Conciliorum authoritatibus planum facere. Qui erit igitur noſter hodierna luce ſenſus, cum eo ſimus communiti præſidio, ut hoſtium dolis, & machinationibus intercluſum iter omninò

S. Aug. l. 1. c. 1. cont. 2. Ep. Pel.

S. Baſil. Ep. 52.

ſit?